INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA
HALENSI CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLX.

A DIE XVI. APRILIS VSQVE AD DIEM XIV. AVGVSTI

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

PRAEMISSVM EST
THEODORI BERGKII
QVAESTIONVM ENNIANARVM SPECIMEN NOVVM.

HALÆ

FORMIS HENDELIIS.

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

RECTOR

IOANNES EDVARDVS ERDMANN

CVM SENATV

S. D.

C I V I B V S S V I S.

Romae urbis primordia insigniter illustrant Q. Ennii versus, quos Cicero libro I de divinatione c. 48 servavit, ubi haec leguntur: „Atque ille Romuli auguratus pastoralis, non urbanus fuit, nec fictus ad opiniones imperitorum, sed a certis acceptus et posteris traditus. Itaque Romulus augur, ut apud Ennium est, cum fratre item augure,

Curantes magna cum cura, concupientes
Regni, dant operam simul auspicio augurioque.
Hinc Remus auspicio se devovet atque secundam
Solus avem servat: at Romulu' pulcer in alto
Quaerit Aventino, servans genus altivolantum.
Certabant, urbem Romam Remoramne vocarent.
Omnibu' cura viris, uter esset induperator.
Exspectant veluti, consul cum mittere signum
Volt, omnes avidi spectant ad carceris oras,
Quam mox emittat pictis ex faucibu' currus.
Sic exspectabat populus atque ora tenebat
Rebus, utri magni victoria sit data regni.
Interea sol albu' recessit in infera noctis.
Exin candida se radiis dedit icta foras lux,
Et simul ex alto longe pulcerruma praepes
Laeva volavit avis, simul aureus exoritur sol.
Cedunt de coelo ter quattuor corpora sancta
Avium, praepetibus sese pulcrisque locis dant.
Conspicit inde sibi data Romulus esse priora,
Auspicio regni stabilita scamna solumque.

Quoties vero hunc locum legi, semper maxime displicuerunt duo versus, qui conti se excipiunt,

Interea sol albu' recessit in infera noctis.
Exin candida se radiis dedit icta foras lux.

quasi occasum solis ortus statim subsequeretur: decebat profecto significari, quid hoc temporis intervallo, quod est inter crepusculum et diluculum gestum vel non gestum esset. Rudis sane et durus oratione est Ennius, sed quamvis non semper apte serat verba aut dilucide rem explicet, non tamen credibile est, tam inertes versus ab Ennio profectos esse praesertim in ipsis operis initiis, quae maiore cura videtur perpolivisse quam libros posteriores, cum et ipsae res, in quibus illustrandis vərsabatur Ennii opera, magis magisque a poesi abhorrerent, et studium diuturnitate laboris ut fieri solet paulatim refrigesceret. Accedit aliud, quod vitii suspicionem plane confirmat. Roma urbs condita fertur XI cal. Maias: hoc ipso die Romulo auspicium capienti secundae aves se ostenderunt, sed si Ennianae narrationi fides est habenda, Romulus et Remus non solum totam noctem, quae praecessit, in tabernaculis sederunt, sed iam pridie illius diei aves servaverunt. Niebuhrio quidem hoc non fuit offensioni *), at pugnat prorsus cum disciplina augurali: nam eodem die et auspicari et agere solebant: dies autem cum secundum Romanorum instituta a nocte media usque ad mediam proximam porrigatur, solebant auspicandi causa post mediam noctem surgere, ut cum dies inlucesceret caperent auspicia, si quidem hoc diei tempus ei negotio commodissimum fuit. Nota sunt quae Gellius ea de re scribit Noctium Atticarum L. III. c. 2. 10: „Populum autem Romanum ita uti Varro dixit dies singulos adnumerare a media nocte ad mediam multis argumentis ostenditur . . . Ad hoc ritus quoque et mos auspicandi eandem esse observationem docet: nam magistratus, quando uno die eis *(et)* auspicandum est, et id, super quo auspicaverunt, agendum, post mediam noctem auspicantur et post exortum solem agunt, auspicatique esse et egisse eodem die dicuntur." Ita enim haec sunt corrigenda **), quae Gellius ex ipsius Varronis libris videtur adscripsisse. Sane Gellii verba licet sic interpretari, ut aliquando etiam diversis diebus auspicia et res, cuius causa auspicia capiebant, peragerentur ***): neque id praefracte negaverim, cum veterum institutorum magna sit varietas et

---

*) Hist. Rom. I. p. 248: „Wer Auspicien suchte, erhob sich in der Stille tiefer Nacht, bestimmte in seinem Gemüth die Grenzen des Himmelstempels, dann harrte er weissagender Erscheinungen. *Der ganze Tag verging und die folgende Nacht.* Endlich erblickte zuerst Remus sechs Geyer, die von Nord nach Süd hinflogen, *aber mit dem Aufgang der Sonne*, als diese Botschaft Romulus angekündigt wurde, flog ihm vorüber ein Zug von zwölf Geyern."

**) Codices fere exhibent: *post mediam noctem auspicantur et post meridiem sole magno auspicatique*, neque quod Lipsius coniecit: *post meridiem solem agunt*, neque quod nuper post alios Hertzius scripsit: *post meridiem sole magno agunt*, ferri potest. Ostendit hoc, ut alia mittam, Plutarchus Quaest. Rom. 84: *ἢ καθάπερ ἡ μεσημβρία πέρας ἐστὶ τοῖς πολλοῖς τοῦ τὰ δημόσια καὶ σπουδαῖα πράττειν, οὕτως ἀρχὴν ἔδοξε ποιεῖσθαι τὸ μεσονύκτιον; τεκμήριον δὲ τοῦτο μέγα τὸ μὴ ποιεῖσθαι Ῥωμαίων ἄρχοντα συνθήκας μηδὲ ὁμολογίας μετὰ μέσον ἡμέρας.* Plutarchus autem pleraque omnia, quae in hoc commentario leguntur, Varroni accepta refert: eo minus in suspicionem vocanda sunt, quae hoc loco tradit. Est igitur omnino scribendum: *post exortum solem agunt*, quemadmodum iam in editione Gryphiana haec verba correcta esse perhibentur, quam emendationem plane confirmat Macrob. Sat. I. 3. 7: „nam magistratus quando uno die eis et auspicandum est et id agendum super quo processit auspicium, post mediam noctem auspicantur et post exortum solem agunt, auspicatique et egisse eodem die dicuntur." qui quidem ut solet Gellium exscripsit, quamvis nusquam eius nomen memoraverit.

***) Huic explicationi firmandae fortasse aliquis adhibuerit Censorini verba de die natali c. 23 … sunt sacra publica et auspicia etiam magistratuum, quorum si quid ante medium noctis est actum

inconstantia, verum ipsa rei natura videtur flagitare, ut res, cuius causa auspicantur, continuo peragatur, postquam fausta auspicia capta sunt, neque ullum novi exemplum, unde appareat pridie eius diei, quo agendum fuit, auspices vel magistratus tabernaculum ingressos esse, sed post mediam noctem vel sub solis ortum auspicatos esse docent testes locupletes *), velut Festus p. 347: „Solida sella, ait (Verrius, sedere tum quis) iubetur, cum mane surg(ens auspicandi gratia evigi) lavit.“ item p. 348: „(Silentio surgere ait) dici, ubi quis post mediam (noctem auspi)candi causa lectulo suo si(lens surr)exit.“ Livius X, 40: „tertia vigilia noctis iam relatis litteris a collega Papirius silentio surgit et pullarium in auspicium mittit.“ Dionys. Halic. II. 5 de Romulo narrans: *προειπὼν ἡμέραν, ἐν ᾗ διαμαντεύεσθαι περὶ τῆς ἀρχῆς ἔμελλεν, ἐπειδὴ καθῆκεν ὁ χρόνος, ἀναστὰς περὶ τὸν ὄρθρον ἐκ τῆς σκηνῆς προῆλθεν*, et deinde cum docet antiqui moris etiam tunc vestigia quaedam reliqua esse, haec addit: *ἐπαυλίζονται μὲν γὰρ οἱ τὰς ἀρχὰς μέλλοντες λαμβάνειν καὶ περὶ τὸν ὄρθρον ἀνιστάμενοι ποιοῦνταί τινας εὐχὰς ὑπαίθριοι.* Huc etiam pertinent quae idem XI. 20 de dictatore refert: *περὶ μέσας νύκτας εἰς τὸ βουλευτήριον συνελθόντες . . . ἀρχὴν ἀπεδείξατε μίαν αὐτοκράτορα πολέμου καὶ εἰρήνης . . . καὶ πρὶν ἡμέραν γενέσθαι δικτάτωρ ἀποδέδεικται.* Adde huc Plutarch. vit. Tib. Gracchi c. 17: *ἅμα δ' ἡμέρᾳ παρῆν ὁ τὰς ὄρνιθας αἷς διαμαντεύονται κομίζων.* Sane apud Livium olim legebatur VIII. 23, cum augures dictatorem Claudium Marcellum vitio dictum arguerent: „Nam neque facile fuisse id vitium nosci, cum consul oriente nocte silentio diceret dictatorem.“ at verissime iam Gronovius emendavit *consul oriens nocte* vel potius *de nocte* **), confer Bekkeri Antiquitt. Rom. II. 2. p. 160 seq. Iam cum haec lex iuris auguralis esset notissima, saepenumero latini scriptores pariter atque Graeci simpliciter noctu magistratus auspicatos esse dicunt, quemadmodum ut uno defungar exemplo, in Censoriis tabulis apud Varronem de L. L. VI. 86 scriptum extat: „Ubi noctu in templum censura auspicaverit atque de coelo nuntium erit, praeconi sic imperato ut viros vocet,“ quo loco Od. Müllerus non recte ut mihi videtur *censurae* edidit, cum potius *in templum* vel *in templo censor* corrigendum sit.

Cum solenni more auspiciorum initium fieret post mediam noctem id est post civilis diei principium, consentaneum est libros augurales etiam praecepisse, qui finis auspicandi esse deberet: atque videor mihi huius legis reliquias reperisse apud Varronem VII. 51: „Naevius:

Patrem suum supremum optimum appellat.

supremum a superrimo dictum: itaque in XII. tabulis dicunt:

Solis occasu diei suprema tempestas esto ***).

---

diei qui praeteriit adscribitur, si quid autem post mediam noctem et ante lucem factum est, eo die gestum dicitur, qui eam sequitur noctem.“ Sed vereor ne negligentius rem exposuerit Censorinus, qui quae apud Varronem de sacris nocturnis dicta erant, ad ritum auspicandi transtulit, quae Gellius recto iudicio usus plane distinguit.

*) Cadit hoc etiam in privata auspicia, cf. Statius Silv. I. 2. 229: „Vix dum emissa dies et iam socialia praesto omina.“ quamquam sane illa aetate nuptialium auspiciorum ritus fere obsoleti. Idem Statius in Thebaide III. 468 publicorum auspiciorum morem secutus dicit: „Huc gemini vates . . . evadunt pariter, madidos ubi lucidus agros ortus et algentes laxavit sole pruinas.“

**) Nam *de nocte* proprie est nihil aliud quam *post mediam noctem*, id quod planius etiam *de media nocte* dicebatur, vid. Censorin. c. 23, et ad eundem modum *de die* vel *de meridie* intelligenda sunt.

***) *Die* utrum ipse Varro an librarius aliquis addiderit, ambigi potest: alienum certe est a legis

Libri augurum pro tempestate tempestutem dicunt id est supremum augurii tempus." *id est*, quod solus cod. Flor. videtur exhibere, expunxerunt critici, existimantes ipsius Varronis esse verba, quae subsequuntur: quod mihi secus videtur: nam neque *tempestus*, quod vocabulum forma tantum a *tempestate* differt, ullo pacto potest extremum auguriorum tempus significare, neque Varro id agit, ut *tempestutis* sive *tempestatis* significationem explanet, sed exspectamus potius novum exemplum addi, quo explicetur, quid sit *supremum:* itaque haec ipsa verba ex libris auguralibus sunt petita, quae mihi quidem in hunc modum corrigenda esse videntur: „Libri augurum pro tempestate tempestutem dicunt:

Meridies suprema augurii tempestus (*esto.*)"

neque obscurum, quo modo istae corruptelae, quae Varronianos libros obtinent, sint ortae. Meridiem autem postremum auspicandi tempus fuisse cum per se sit verisimile, quandoquidem curandum fuit, ut iustum tempus rei ipsi agendae superesset, tum maxime suadere videtur singularis religio ac sanctitas meridiani temporis, quam Graeci diligenter servarunt, neque Romani homines videntur neglexisse. Accedit huc aliud. Quod si licuisset aves usque ad solis occasum servari, lex ista disciplinae auguralis prorsus congrueret cum lege iudiciaria: verum tunc Varro vix operae pretium esse duxisset ipsa verba, quae in Augurum libris legebantur, adscribere. Multo vero minus credibile est augures usque ad mediam noctem in tabernaculis sedisse. Ac plerumque iam sub ipsum mane peractum fuit auspicium, secundis avibus oblatis: sin adversae se ostendissent, alio die erat ex more auspicandum. Lex tamen ista, ut par est, providebat etiam si cessarent omina, quod quidem raro admodum accidisse videtur.

Sed cum hac augurali disciplina Ennianus locus adversa fronte pugnat: nam Romulus et Remus pridie eius diei, quo nova urbs condenda est, sive per totum diem, sive post meridiem auspicantur, deinde per totam noctem in templis sedent, donec sub solis ortum vultures Romulo se ostenderunt. Iam vero angustum hoc auspicium, quo condita est Roma, simulacrum quasi et exemplum omnis disciplinae auguralis fuit, ut ipse Romulus primus disciplinae auguralis auctor vulgo haberetur. Testatur Cicero de div. I. 2: „Principio huius urbis parens Romulus non solum auspicato urbem condidisse, sed etiam ipse optimus augur fuisse traditur." Hinc idem in orat. in Vatin. c. 9 Romam dicit eam rempublicam, „quae auspiciis inventis constituta sit," item de nat. Deorum III. 2: „Romulum auspiciis, Numam sacris constitutis fundamenta iecisse nostrae civitatis," et inprimis huc pertinent, quae idem de Rep. II. 9 scripsit: „Nam et ipse, quod principium rei publicae fuit, urbem condidit auspiciis et omnibus publicis rebus instituendis, qui sibi essent in auspiciis, ex singulis tribubus singulos cooptavit augures," tum rursus ib. c. 10 dicit Romulum duo egregia firmamenta rei publicae peperisse, auspicia et senatum.

---

verbis: praeterea *solis occasus*, non *occasu* scribendum, idque ipse Varro VI, 5 confirmat, est autem haec germana scriptura, sed neque antiquis interpretibus neque nostris grammaticis intellecta: Varro *solis* genitivum esse existimans *occasum* substantivum esse censuit, alii vero, qui recte animadvertissent veteres latinos *solem occasum* potius quam *solis occasum* dicere solitos esse, scripserunt *sol occasus*, at id ipsum significat *solis occasus* in XII tabulis, nam *solis* nominativum esse casum ostendam alias. Ceterum *solis occasum* primus ut videtur dixit Pacuvius, cum *sol occasus* legatur apud Plautum, Lucilium, Claudium Quadrigarium: nam quamquam Ennius iam substantive dixit *occasus*, tamen apud illum *occasionem* notat.

Quis igitur credat Ennium, cum ipsa primordia urbis describeret, ea quae more maiorum et iure augurum sancita erant, prorsus ignoravisse: nam quamvis iam illa aetate auspiciorum auctoritas imminuta esset, tamen patria instituta etiam tunc diligenter observabantur, et summa disciplinae auguralis nulli non erat cognita.

Ab hoc crimine ut poetam sollertem liberemus, medicinam adhibendam censeo, qua multi sane hac nostra aetate intempestive abutuntur, at istam levitatem non est par obesse, quominus ubi ipsa res flagitat prudenter ex artis ratione adsciscamus. Etenim illum versum:

Interea sol albu' recessit in infera noctis,

qui satis praepostere narrationis ordinem perturbat, suum obtinere locum nego, est autem interserendus statim post versum secundum, ut poeta in hunc modum augurium illud describere sit exorsus:

Curantes magna cum cura, concupientes
Regni, dant operam simul auspicio augurioque.
Interea sol albu' recessit in infera noctis.
Hinc Remus auspicio se devovet.

Iam ordine omnia, ut decebat, exponuntur: Romulus et Remus, ut certamen de summa rerum componerent, nocturno tempore tabernacula capiunt; hi dum aves servant, civium animi exspectatione suspensi sunt, Romulus autem, ubi primum sol exoritur, duodecim vultures conspexit laetusque imperio potitur.

Quod Ennius v. 1 Romulum et Remum auspicio et augurio operam dedisse dicit, nihil aliud significat, quam cogitavisse urbem auspicato condere et omnia rite praeparavisse, quemadmodum Cicero dixit de Rep. II. 3 de ipso Romulo: „Qua gloria parta urbem auspicato condere et firmare dicitur primum cogitavisse rem publicam.“ Sane cum Livius XXXIV. 14 de Catone scribit: „Nocte media cum auspicio operam dedisset, profectus, ut locum quem vellet priusquam hostes sentirent caperet“ idem est quod *aves servare, auspicia capere.* *) Sed cave hoc testimonio abutaris ad impugnandam emendationem, quam proposui: nam etiam ubi non inserueris versum illum, verba quemadmodum vulgo leguntur non admittunt aliam interpretationem.

Neque obscura est erroris, quem arguere institui, origo: librarius cum versum illo loco, quem olim iure suo obtinebat, neglexisset, in extrema pagina subiecit, neque scribae, qui postea hoc exemplo usi sunt, in suum locum restituerunt **).

Sed quemadmodum alii temere etiam quae sunt sanissima prava quadam coniectandi libidine tentant, ita alii quidquid libris antiquis est traditum quavis machina tueri student, itaque etiam hic non dubito defore, qui traiectione versiculi nos facile carere posse existiment, dummodo statuamus Ennium, cum scripserit:

---

*) Eandem rem ipse Cato in orationibus de consulatu suo (Fragm. Or. ed. Meyer p. 34) his verbis narravit: „Postquam auspicavi atque exercitum adduxi pone castra hostium.“

**) Versus enim 12: *Rebus utri magni victoria sit data regni* videtur in archetypo ultimam lineam obtinuisse. Quamquam alia etiam fingi potest erroris causa: cum inserendus esset ille versus: *Interea sol albu' recessit in infera noctis* post v. 2, in quo *regni* vocabulum primum est, librarii restituerunt versum in margine adscriptum post versum 12, qui eodem *regni* vocabulo terminatur.

Interea sol albu' recessit in infera noctis

non de sole, sed de luna locutum esse, quemadmodum Merula illum versum interpretatus est, et ut solent multi facilius falsis fidem habere, quam veris, non defuerunt, qui hanc interpretationem comprobarent, velut Schweglerus in Hist. Rom. Vol. I. p. 388, et qui nuper Ennianae poesis reliquias concinnavit Vahlenus p. XXXV. Ac Merula quidem difficultatem, qua hic locus, quemadmodum vulgo legitur, laborat, plane non perspexit, sed quod displicuit solem hic dici *album,* quem paulo post ipse Ennius *aureum* vocavit, quodque omnino hoc vocabulum lunae magis quam solis naturae convenire visum est, eo temeritatis processit ut *solem* pro *luna* dictum esse existimaret: qua interpretatione nihil magis perversum aut dici aut fingi potest: nam prorsus novum atque inauditum verborum proprietate omnino neglecta *solis* et *lunae* vocabula permutari. Neque quidquam causae est, cur *albus sol* reprehendatur, siquidem Matius ap. Gellium XV. 25 dixit:

Iamiam albicascit Phoebus et recentatur.

et Martialis X. 62, 6:

Albae leone flammeo calent luces,
Tostamque fervens Iulius coquit messem.

Nam quod apud Ciceronem cod. Erlangensis solus exhibet *altus,* id nemo opinor probabit *).

Fortasse aliquis etiam aliud argumentum adhibendum censeat, ut Merulae istam explicationem penitus convellat. Etenim Plutarchus in vita Romuli c. 12 illo ipso die, quo Roma condita est, solem defecisse memoriae prodidit: *Νῦν μὲν οὐδὲν αἱ Ῥωμαικαὶ νουμηνίαι πρὸς τὰς Ἑλληνικὰς ὁμολογούμενον ἔχουσιν, ἐκείνην δὲ τὴν ἡμέραν, ἐν ᾗ τὴν πόλιν ὁ Ῥωμύλος ἔκτισεν, ἀτρεκῆ τριακάδα τυχεῖν λέγουσιν, καὶ σύνοδον ἐκλειπτικὴν ἐν αὐτῇ γενέσθαι σελήνης πρὸς ἥλιον, ἣν εἰδέναι καὶ Ἀντίμαχον οἴονται, τὸν Τήιον ἐποποιόν, ἔτει τρίτῳ τῆς ἕκτης Ὀλυμπιάδος συμπεσοῦσαν. . . . κτισθῆναι δὲ τὴν Ῥώμην ὑπ' αὐτοῦ τῇ ἐνάτῃ Φαρμουθὶ μηνὸς ἱσταμένου μεταξὺ δευτέρας ὥρας καὶ τρίτης.* Iam solis defectus, ut rectissime Plinius Hist. Nat. II. 56 observavit, non fit, „*nisi novissima primave luna, quod vocant coitum,*" in coitu autem luna omnino non apparet, ut idem XVIII. 323 adnotavit, hinc *interlunium* vel *lunam silentem* **) in communis vitae consuetudine vocabant: non licuit igitur Ennio dicere, paullo ante Solis ortum Lunam occidisse.

---

*) Revocat hic versus in memoriam locum Virgilianum Aen. IX. 403, qui admodum et antiquos et nostros grammaticos exercuit, ubi cum *alta Luna* legeretur, Wakefieldus *albam* scribendum esse censuit. Sed vel maxime incommoda illo loco est vocula *et;* haec enim ibi leguntur:

Ocius adducto torquens hastile lacerto
Suspiciens altam Lunam et sic voce precatur.

hanc igitur voculam, quamvis veterum grammaticorum auctoritate sit stabilita, plerique critici delendam esse censuerunt: sed sublata hac particula numerorum elegantiam penitus extingui recte monuit Wagnerus, verum quae vel olim vel nuper (in Philologi Suppl. Vol. I. 354) protulit, ut tueretur particulam illam, parum sunt probabilia: neque vero satis est compungere hoc vocabulum, quod ex libro VI. 186 huc illatum est, verum nna praeterea littera mutata scribendum:

Suspiciens *altum,* Lunam sic voce precatur.

**) *Silenti luna* est apud Catonem de re r. 29. 40. 50. atque ipse Plinius XVI. 190. XVIII. 314 hoc agnoscit, idem tamen in Catonis libris *luna sitiente* videtur invenisse, vid. XVII. 57. XVIII. 112. neque vero tunc ipsum interlunium significatur, sed omnino luna decrescens *sitiens* vel *sicca* dicebatur.

Verum huic argumento nihil omnino tribuendum censeo: nam eo die, quo condita est Roma, solem defecisse non fuit si quid video antiqua fama traditum, sed videntur hoc docti homines multis post Ennii mortem annis commenti esse. L. Tarutius Firmanus, Ciceronis et Varronis familiaris, mathematicus haud ignobilis, Varrone auctore ut videtur, non solum Romuli sed etiam urbis diem natalem investigavit, ut secundum Chaldaeorum praecepta ex sideribus compositis fata urbis quasi divinaret. Ac Romam urbem conditam esse Olympiadis VI anno 3 Tarutius censuit, haud dubie secutus Attici auctoritatem, qui rationibus probabiliter subductis in libro annali ad hunc ipsum annum Romae primordia retulit: sed Tarutius ut id quod propositum fuit assequeretur, verum diem ipsamque debebat horam indagare: fama sane antiqua ferebat urbem conditam esse Palilibus hoc est XI cal. Maias, at huius famae nullus usus, nisi licuisset ex solis aliqua defectione iustos numeros reputare. Tarutius igitur cum in Graecorum annalibus Ol. VI. 3 vidisset solis defectionem consignatam, quae sibi videretur in eum ipsum diem cadere, quo condita esse urbs ferebatur, his sollerter usus est ad vaticinium Chaldaicum. Ut largiar et Tarutium bona fide rationes subduxisse et solis defectionem, quam olim observaverant Aegyptii sacerdotes, revera incidere non solum in Ol. VI. 3, quemadmodum graecis mathematicis visum, sed etiam in eum diem, quo Romae Palilia celebrabantur, denique ut largiar revera illo die in Latia terra obscuratam esse solis speciem, quamquam nostri homines harum rerum periti negant, non tamen antiquitus memoriae fuit proditum, in urbe condenda defecisse solem, sed ipse Tarutius primus hoc sive sagaciter indagavit sive callide commentus est; sed utut res se habet, probabiliter certe visus est rem adornasse, ut vel Varroni probaret, qui Tarutium secutus est in libris, quos *de gente populi Romani* scripsit. Nam cum fama esset vetusta Romulum solis luce obscurata subito non comparuisse, cumque item traditum esset *) solem

---

Luna cum aquas parere vulgo crederetur, ipsa maritimo humore nutriri ut opinor visa est, itaque decrescentem lunam *sitientem* vel *siccam* dicebant.

*) Conon mathematicus primus ut videtur solis defectiones ab Aegyptiis observatas collegit (Seneca Quaest. Nat. VII. 3), his observationibus usus est Eratosthenes ad Graecarum rerum tempora stabilienda, is igitur solis defectionem, quae in Aegypto die nono mensis Pharmuthi (nomen hoc utrum corruptum sit an recte se habeat, in medio reliquam) olim accidit, rationibus diligenter subductis retulit ad Ol. VI. 3, et cum vidisset Antimachum Teium cyclicum poetam in aliquo carmine, fortasse in Epigonis, solis defectum ita descripsisse, ut videretur recentem aliquem casum respicere, quemadmodum solent cyclici poetae, sollerter Antimachi aetatem ad illum ipsum annum retulit. Cononis autem et Eratosthenis libris usus est Tarutius in computandis Romuli et Romae natalibus. Ac Plutarchus quidem ipsum videtur Tarutii librum, qui fortasse graece fuit scriptus, adhibuisse, quem etiam Cicero respicit de divin. II. 47. Solinus autem c. 1 et Lydus de mens. I. 14 quae de eadem re referunt, haud dubie ex Varronis libris petiverunt, quamquam inter se dissentiunt: quem dissensum expedire non est meum, sed mathematicarum artium interpretes viderint de his. Unus vero Plutarchus, qui dedita opera omnem rem diligenter exponit, solis defectum memorat, sed facile apparet inde omnes Tarutii rationes suspensas esse. Ceterum Theod. Mommsen de Chronol. Romana p. 146 Plutarchi locum perperam de lunae defectione interpretatur, sed idem quamvis et ipse Tarutio fidem deneget, recte monet: „Die Finsternissdaten des Tarutius halte ich darum doch für alt und echt, nur kann es freilich nicht Wunder nehmen, wenn sie sich für Rom nicht verificiren lassen (Petavius doctr. temp. 9, 55); eher mögen es aegyptische oder babylonische Beobachtungen sein."

**) Certe vetustatis speciem aliquam prae se fert ista fama, quamquam locupletem auctorem non habemus; nam Dionys. Halic. I. 77. II. 56 quae antiquioribus quae recentibus testibus accepta referat, prorsus incertum: Plutarchus certe de fort. Rom. c. 8. Tarutium secutus est. Itaque non admodum adversabor, si quis hoc quoque Tarutium callide commentum esse statuat, quum vidisset eo ipso anno, in

defecisse, cum Mars Iliam compresserit, quemadmodum magnorum virorum natales pariter atque exitus solent fabulis exornari, non est mirum, si etiam eo die, quo Romulus novam urbem condidit, sol defecisse visus sit. Ennius vero eiusque aequales nihil omnino audiverunt de solis defectu, qui in condenda urbe acciderit, quare hoc argumentum omnino ab hac quaestione procul habendum.

Iam restituto illo versu in pristinum locum praeterea difficultate satis gravi, ut mihi quidem semper visum est, laborat carmen extremum: nam poeta, cum et Romulum et Remum aves observasse, sub ipsum autem solis ortum duodecim vultures apparuisse narrasset, plane debebat dicere, utri visae sint illae aves: quod quidem satis obscure significatur versibus ultimis:

Conspicit inde sibi data Romulus esse priora,
Auspicio regni stabilita scamna solumque.

neque minus offendit insolens verbum *conspicit,* ubi *intellexit* vel tale quid dicendum fuit. Non credo hoc ipsum poetam commisisse, sed librariorum negligentia hic locus labem aliquam videtur contraxisse; commodam autem sententiam facili negotio restitueris, ubi scripseris:

Quom specit, inde sibi data Romulus esse priora
Auspicia, ac regni stabilita scamna solumque.

ut brachylogia quadam usus sit poeta, cum haec sit sententia: quas aves cum conspexit, inde vidit sive intellexit Romulus sibi priora auspicia obtigisse, quemadmodum alias quoque nonnunquam verbum quod fuit iterandum semel dicitur aut ex verbo aliquo aliud significatione suppar est repetendum. Velut nuper Homero hanc brachylogiam vindicavi Iliad. A, 290:

Εἰ δέ μιν αἰχμητὴν ἔθεσαν θεοὶ αἰὲν ἐόντες,
Τοὔνεκα καὶ προθέουσιν ὀνείδεα μυθήσασθαι;

Fateor tamen eiusmodi brevitatem magis convenire quum poeta aliquem mente vehementer agitata loquentem facit, quam ubi ipse tenui filo rem quemadmodum gesta est exponit. Itaque potius animum induco intercidisse versum quem neglexit librarius. Scripserat fortasse Ennius:

Quas postquam spexit templo de sedibu' sacris,
Conspicit inde sibi data Romulus esse priora
Auspicia ac regni stabilita scamna solumque.

Simplex verbum *specio (spicio)* in disciplina augurali solemne fuit, ut testatur Varro de L. L. VI, 82: „in auguriis etiam nunc augures dicunt *avem specere*“ atque ita Cato apud Festum p. 344: „Ut solent evitare sonivios, nisi qui sempiterni sunt, quos cum occurrunt nec speciunt neque ratos esse volunt.“ ususque est Ennius hac antiqua verbi forma etiam alias. Atque nunc demum, ubi eiusmodi versus, quem finxi, praecessit, nihil iam habet insolentiae illud quod subsequitur *conspicit.* Ultimi autem versus emendationem, quam ante multos annos feci, nemo opinor in dubitationem vocabit.

Minime vero audiendus qui nuper Enniauorum carminum reliquias recensuit, qui quoniam poeta non significavit, quo in loco Remus aves observaverit, existimat post v. 2

---

quem secundum ipsius rationes principium Romuli cadebat, solis defectionem in Graecorum annalibus consignatam.

aliquot versus interceptos esse: sed vana est haec suspicio: [nam agnoscimus hic insigne reticentiae exemplum, qua cum alii saepenumero sint usi, non est hic poeta culpandus, qui ad illorum exemplum maluit nonnulla legentibus intelligenda relinquere, quam singulatim molesta quadam diligentia omnia persequi. Neque vero Remus in Remuria tabernaculum cepit secundum Ennium, ut Vahlenus opinatur, sed Palatinum montem occupavit, cum Romulus se in Aventinum contulisset: Ennius autem hac in re haud dubie famam, quae tum apud populares suos maxime pervagata fuit, secutus est. Omnino enim tenendum est, post Ennii demum aetatem Romanos homines antiquitates et primordia suae civitatis accuratius rimatos esse: hinc factum ut multa, quae erant oblivione obsita, renovarentur, alia autem fingerentur, quae temere antiquitatis speciem ementita sunt. Iam cum Aventinus mons vulgo crederetur obscenis auspiciis obnoxius esse, parum conveniens esse visum est, augustum augurium, quo Roma urbs condita, Romulo oblatum esse in Aventino monte, itaque antiquae famae, quam Ennius secutus est, fidem denegantes, rei ordinem omnino inverterunt ac Romulum in Palatino, Remum, cui sex vultures visos esse itidem fama erat, in Aventino aves servasse finxerunt; atque hoc ipso Remi augurio usi sunt antiquitatum Romanarum interpretes, dum quaerunt, quam ob causam Aventinus non sit idoneus auspiciis et extra pomoerium exclusus *). Quamquam huius quidem rei longe alia est causa. Auspicia enim cum essent patriciorum, inde ab eo tempore, quo dissidia inter patres et plebem gliscebant, Aventinus mons, quem plebeiorum hominum multitudo occupaverat, non iam visus est idoneus ad auspicandum, ut ne Servius quidem Tullius eum montem intra effatos urbis fines includere ausus sit **). At antiquitas istius religionis erat immunis, hinc etiam Romulus fertur post captum augurium hastam ex Aventino monte in Palatinum iaculatus esse, quae humi fixa fronduit atque postea maxima religione est culta ***), ut iam non sit dubitandum, quin Ennius antiquam famam sit secutus, cum Romulum in Aventino auspicari scripsit.

---

*) Ita visum est Messallae, vid. Gell. XIII. 14: „Huius rei Messalla aliquot causas videri scripsit, sed praeter eas omnis ipse unam probat, quod in eo monte Remus urbis condendae gratia auspicaverit avesque irritas habuerit superatusque in auspicio a Romulo sit. Idcirco, inquit, omnes, qui pomoerium protulerunt, montem istum excluserunt, quasi avibus obscenis ominosum."

